



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 24. Remedia impatientiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

## S. XXIV.

*Remedia impatientiae.*

**M**ulta sunt negotia & officia, quæ aggredi, & quibus fungi oportet; multa hominum consortia, quibus cogimur interesse: vixque fieri potest, ut omnia ex animi nostri sententia eveniant, & omnes nobiscum consentiant. Idcirco summâ curâ advertendum, ne animi excessâ tranquillitate in impatientiam labamur. Id autem assequemur, præparato & præmunto animo earum rerum consideratione, quæ in singulis negotiis, officiis, & congressibus contingere solent, nec possunt à nobis immutari, aut impediri. Nam si dura quæque, injucunda, & molesta, quæ res ferè singulas concomitantur, antea prævisa fuerint, & ad illa æquo animo ferenda parati simus, omnem facile commotionem & mentis ægritudinem evitabimus. Hoc præcipuum opus est, cui sedulo incumbere oportet, ut rebus scilicet exterioribus, prout exigat earum natura, utamur. Illarum autem natura fert, ut nobis serviant, non dominantur; ut multis casibus obnoxia & extra nostram potestatem sint: & idè virum sapientem sui que propositi tenacem, de solido mentis statu nunquam dejiciunt. Si quis eum abducat, si facultates eripiat, si dignitate privet, si tormentorum, vel mortis metum incutiat, non vincitur, non cedit, non læditur, quia dudum cogitavit, & didicit hæc omnia extra se esse. Opiniones perturbant hominem, non res. Nemo angitur, nemo luget, nemo tremit, nemo expavescit, nisi qui appetit, aut timet aliquid, quod penes ipsum non est. Martyres Christi diversis tormentorum generibus dilacerati inter fatigatos carnifices invictam animi patientiam constantissimè tenuerunt: ipsis quoque pueris, ac mulieribus nec flagella, nec succensæ fornaces gemitus exprimere potuerunt. Verberari poterant, & occidi, non vinci: nam quæ tyranni dare poterant, vel auferre, ipsi spernebant, utpotè extra se posita. Virtutem verò animi nemo illis eripere potuit, quia extra regum, & tyrannorum potestatem est.

## S. XXV.

*Propria Christianorum virtus humilitas.*

**C**lamat verbum Dei, fons Sapientiæ, clamat omnium virtutum magister, & auctor, & dicit, *discite à me* (*Matth. 11: 29.*) Magnum aliquid audituri sumus, quis est enim qui dicit, *discite à me*? Ille est qui fecit cælum & terram, qui omnia produxit è nihilo, qui dixit de tenebris lucem splendescere. Numquid docebit nos hæc eadem facere, & novum mundum creare? sed solus Deus hæc facit. Dicit ergo, ut ab illo discamus quod ipse propter nos factus est, *qui cum in forma Dei esset semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* (*Philipp. 2.*) Discite, inquit, à me non mortuos suscitare, non daemones expellere, non leprofos mundare, non cæcis lumen, surdis auditum reddere, non sicco vestigio pelagi undas calcare, sicut quidam fecerunt, quibus hanc gratiam donavi; sed *discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Noluit docere, quod ipse non esset, noluit jubere, quod ipse non faceret. Ad hoc redigit omnes thesauros scientiæ, & sapientiæ suæ, ut disceremus ab ipso humiles esse. Adeo res magna est & difficilis humilem esse, ut omnino disci non posset, nisi ab illo qui maximus est. Non enim posset humana superbia tumore deposito humilis fieri, nisi ab illo sanaretur, qui, cum Deus esset, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp. 2: 8.*) Est igitur humilitas propria, & præcipua Christianorum virtus, superbis Philosophis ignota, quam præ cæteris Christus docuit verbo, & exemplo; ut in novitate vitæ ambulantes ad præmium supernæ vocationis post ipsum properemus, sedulo considerantes unde peregrinemur, quo tendamus, quantum viæ egerimus, quibus præsidis ad iter peragendum muniti simus. Nisi enim humilitas omnia quæcumque facimus & præcesserit & comitetur, & subsequatur, nunquam ad optatam metam perveniemus. Nobis quippe de aliquo bono opere gaudentibus, quidquid egimus inscit superbia, quæ etiam in rectè factis timenda est, ne quod laudabiliter operamur, ipsius laudis cupiditate amittatur. Quod si aliquando cogitationes nostræ nos aliquid esse suggererint, terra semper præsens est, quæ primæ nostræ originis nos admonet. Terra sumus, & mox in terram revertemur. Super hoc fun-